

nem: Nec fefellit oraculo similior vox
 quàm mortalis hominis cōiectura. Idem:
 Domitianum filium super cœnam fungis
 abstinentem cunctis audientibus irrifit,
 fati sui negotium dicens: Nec enim fun-
 gos sibi metuēdos esse, sed gladios: Tan-
 to ante illi genus suæ mortis denunciāns.
 Quæcūque ferè de Cæsaribus dicta sunt,
 vacua consilij dixerim, sed plena miracu-
 li: quid enim profuit de longinquo ven-
 turos casus præuidisse, nec obuiam esse,
 cum iriposset si modò poterat? Nec erat,
 ut est apud Poëtam:

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum?
 Vtcunque se res habebat, propter admi-
 rationem tantum memoriam meruerūt:
 in his autem qui sequuntur, & prouiden-
 tiam miror & consilium laudo, futuris
 periculis abiectum, quamuis & ut plæ-
 runque solet, ab imperita multitudine
 spretum atque calcatum sit. Nihil enim
 benè suadentium laudibus officit, ob-
 strepentium furor, multis profuit ad glo-
 riam! quæ dicerent, quæue consulerent
 contemni dum clarior prouidentia fides
 magnis post laudibus quæsitæ est: Hinc
 iam ab vrbe simul & Cæsaribus abeun-
 dum est.

v. j.